UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt VIII. De secunda exercitiorum Eremiticorum statione sive diæta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

Eremita; sed qui se Prælati auxilium implorando humiliat, certo & indubiè sciat, multo amplius sibi profuturum Superioris consilium, licet exile videatur, quam quodvis aliud, quantumvis natura sua præstantissimum: nam veteta, in ore Prælati aqua muratur in vinum, & quod improportionatum morbo videbatur, eventus probat efficacissimum.

Documentum aliud observatione dignissimum.

Denique, ut stationem diætæ hujus absolvamus, operæpretium est ultimum hoc addere documentum, ut Eremita profectus sui cupiens, omnia exercitia cum spiritu, & fervore perficere satagat.

Nam sicuti fervor rebus etiam minimis dat vitam, ita & ignaviæ tepiditas, & consuetudinis languor eandem auferunt, & quamvis nobilia & vitalissima opera, prorsus emortua reddunt.

Deploranda certè quorundam indiscretio est, qui cum aliquantulo majori labore actiones suas, spiritu & fervore mirificè nobilitare, ac fœcundare possent, malunt tamen tepiditate sua vitalitium gratiæ Spiritus Sancti fervorem excludendo, die ac nocte, sine fructu, aut gustu, inutiliter & tædiosè laborare. De quibus jure merito Evangelica moveri potest querimonia, ut quid adhuc sanctam deserti terram occupant, inutiles, infructuosi, emortui, qui corpore quidem, quasi exanimi cadavere, sed spiritu destituti, vitæ regionem incolant, quique sacram Eremum ad passionum mortificationes, vitiaque extirpanda ingressi, in tantum ab instituti sui scopo aberrant, ut potius seipsos amplius vitiis irradicent, & propriarum passionum deordinationibus miserabili servitute subjiciant.

De talibus Eremi incolis, in hunc modum loquitur Eusebius Emissenus: Quid nobis prodest habitationis hujus secretum, quando tyrannico dominatu in nobis malitia regnat, ira superequitat, majoremque metum, reverentiam, atque custodiam nobis incutit humanus oculus, quam divinus? dum nos, qui extra mundum esse nos credimus, & mundum nos reliquisse præsumimus, & jactamus, mundum intra nos per diversarum vitia passionum, per imagines phantasticas, & cogitationes inanes, clausum tenemus. Quid prodest, si locus quietus, solum corporaliter teneatur? & inquietudo in corde versetur? quid, inquam, prodest si in habitatione silentium sit, & inhabitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum? si exteriora nostra ornet serenitas, & interiora conturbet tempestas? *& infra.* Sciamus ergo parum, aut nihil nobis prodesse, si corpora nostra jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis, veste aspera, duriorique strati reclinatorio affligamus, & animas nostras à vitiis, ab inquietudine passionum, à superbia, ira, impatientia, non purgemus. Quid prodest corporalis afflictio, si linguam & mentem detorpet detractio? nonne omnis labor noster in nihil redigitur? O quam periculosum est cellam inutiliter occupare, in qua alius fructuosè demoraretur, suisque meritis & precibus fundatori, & benefactoribus, ac aliis multis auxiliaretur.

CAPVT VIII.

De secunda exercitiorum Eremiticorum statione sive diæta.

POstquam jam per duos circiter menses in prioribus his sese exercuerit Eremita, ad altiora, & nobiliora exercitia cor animumque attollat, in quibus etiam aliquanto diutius insudandum erit. Eorum quidem hunc sibi præstituat finem, ut magna, assiduaque diligentia, totam interioris hominis fabricam, passionum omnium mortificatione, & continuâ virtutum exercitatione reformet; ipsum etiam intellectum orationis, & contemplationis studio illuminet, aptumque, & capacem efficiat sublimissimæ rerum divinarum, & cælestium cognitionis, qua homo DEO simillimus, & divinæ unioni proximus constituitur, ut in tertia mansione dicetur.

Duplex hujus viæ est exercitium, unum mortificationis passionum, alterum acquisitionis virtutum. Scopus est puritas cordis, duobus similiter mediis acquirenda: priori quidem passionum mortificatione, & acquisitione virtutum; posteriori, cognitione DEI per meditationem, aut contemplationem. Quibus nihil conducibilius est, quam attentâ vitæ & passionis Domini nostri JESU Christi consideratio, & sedula virtutum, in ea resplendentium imitatio. Nihil enim apertius DEI naturam, & perfectiones demonstrare potest quam Christus Dominus. In ipso enim divinarum perfectionum attributa, omnipotentia, magnitudo, sapientia, bonitas, misericordia, & justitia, ex quibus in DEI cognitionem deducimur, mirificè coruscarunt; in ipso tanquam lucidissimo speculo, in quo jugiter intendamus, & perfectissimo, quo efficacissimè moveamur exemplari virtutum omnium exercitia clarissimè reluxerunt.

Atque ita totum stationem hanc decertantis exercitium, in cognitione, & imitatione JESU Christi præcipuè consistit. Unico enim hoc & principali medio claram DEI notitiam percipiet, & virtutes perfectissimas, quibus ad beatam tendat amoris cum DEO unionem, in seipso solidissimè insculpet. Nam si Christus Dominus ostium est, quo intratur ad Patrem, quomodo quis ab eo deflectit, pro impetrando perfectè orationis, aut cognitionis divinæ dono ad Patrem luminum pertingere poterit? Est meditatio atque imitatio vitæ Domini nostri JESU Christi utilissima, securissima & maximi meriti, atque omnium omnino viarum compendiosissima, & sublimissima, & idcirco nunquam, quoad vixerimus ab ea deflectendum. Solummodo tria hujus mansionis exercitia breviter explicabimus.

Primum exercitium.

PRimum itaque diætæ hujus secundæ Exercitium est, passionum animæ mortificatio & abnegatio, cum homo animoso & forti conatu bellum sibi indicit, & vim infert in cohibendis animæ suæ passionibus, voluptatibus, commoditatibus, sensibus, proprio judicio, propria voluntate, honore, lucris, consolationibus, omnibusque aliis partis rationalis inordinatis affectionibus, & amoribus, & totaliter seipsum abnegans fræno rationis motuum suorum caterva moderatur & gubernat. Et quia ab hac passionum refrænatione virtutum moralium origo dependet, cum hæ illarum moderatione introducantur, & exerceantur, hinc tota difficultas in hac perfecta sui ipsius mortificatione & abnegatione consistit. Vnde quamoptimè Cassianus *Coll. 5. cap. 16.* duplo majori labore asserit passionum affectiones eradicari & mortificari, quam virtutes ipsas in anima inseri. Consu-

In passionū mortificatione, quo ordine procedendum.

lit idem Cassian. *Coll. 5. cap. 14.* in mortificandis passionibus primo capitalem impugnandam esse, easque quæ magis potentes, ceteris que fortius dominantes, acriùs bellum nobis movent. Præcipua enim aliarumque Reginâ devictâ, aliæ flaccescunt, & facillimè exunguntur.

Quod de principaliorib⁹ passionibus subjugandis dicimus, de virtutibus pari modo intelligendum venit, maximèque è moralibus exerceri debent, humilitas, patientia, obedientia, tanquam cæteris principaliores.

Nec est quod quis de passionibus subjugatis, acquisitisque virtutibus, sibi applaudat, aut glorietur, quantumvis magna sentiat desideria, si equentesque actus internos eliciat, nisi prius plurimis, & diuturnis occasionibus, & contrariorum vitiorum impugnationibus, quasi lydio lapide probatus, didicerit etiam aridus, & siccus, omnique devotionis gustu privatus, pristina virtutum, & mortificationis exercitia non omittere, sed nihilo remissius omni difficultatis eventu in iis constanter perseverare: si enim firmo virtutis habitu sit confirmatus, conformes virtuti actus producendo, egregium soliditatis præbebit specimen; sin vero adversitate oppressus deficiat, quantum à veræ virtutis perfectione absit, clarè poterit cognoscere.

Primum igitur hujus stationis exercitium, positum est in expurgatione passionum, mediâ scilicet virtutum operatione, & totali sui ipsius abnegatione. Firmiter itaque hic, si proficere velit Eremita, totâ animæ resolutione secum statuat, nunquam seipsum, aut propriam commoditatem, in ulla re quærere, omnem quantumlibet minimam rerum creatarum delectationem fastidire, & fugere, divino beneplacito sese per omnia conformare, forti alacriq ue animo mortificationis laborem, omnemque angustiam, afflictionem, crucem libenter post Christum Dominum bajulare, & omni dubio procul maximos brevissimo temporis spatio perficiet in via Domini proventus.

Secundum exercitium.

SEcundum exercitium est cognitionis JESV Christi Domini nostri, qua tanquam quotidiano diætæ hujus pane jugiter sustentetur Eremita. Duplex porro est Christi cognitio; prior ut in seipso est, quæ per fidem, & contemplationem, in hujus etiam vitæ tenebris obtinetur: posterior, per respectum ad creaturas, eum considerando, ut omnium bonorum authorem, beneficia ab eo percepta, creationis, conservationis, redemptionis, aliaque particularia gratâ mente recolendo. Prior in se perfectior, nobilior, ac sublimior est: posterior tamen in hoc profectus spiritualis statu longè utilior, magisque apposita ad animos divini amoris igne, subpositis beneficiorum fomentis, inflammandos. Hic enim anima incipit aperire oculos, & unde, & à quo veniat quærens, suum pergit investigare principium, Creatorem, Conservatorem, incipiensque à cæteris creaturis, admirabili ordine, obsequio hominis destinatis, per quandam cognitionis simul & amoris scalam ascendendo, illuminationi, & ferventiori mentis affectu divinas perfectiones potentiæ, sapientiæ, bonitatis, considerando & amando, perlustrat.

Verum enim vero nullum, inter omnia DEI opera, efficacius valet ad exstimulandam quantumlibet desidem hominis animam, quam opus Redemptionis, ac Salvationis nostræ: quid enim ullo modo, aut pacto majus, ampliusque excogitari potest, quam quod æternus Pater Filium suum Vnigenitum dederit nobis in eadem carne magistrum, in eodem sanguine Fratrem, crudelissima morte copiosissimum Redemptorem, virtutum omnium, & perfectionum divinarum splendore, quo illuminemur corusc antem, & inexhausto amoris ardentissimi, quo incendamur igne flagrantem. In hoc igitur studio mansionis suæ Eremita, meditationis, aut contemplationis suæ aciem, toto corde dirigat & incliner in vitam & passionem Domini, Magistri, ac Fratris sui JESU infiniti amoris vestigia, imitatione subsequens, & reciproci amoris affectu tenerrimè exosculans. Penetrabilis hic ei fiet divinæ misericordiæ & bonitatis abyssus, & investigabilis latensque divinæ sapientiæ, & providentiæ altitudo, tam idoneo, & efficaci Redemptionis nostræ, gloriæque divinæ medio, in nostram dimissa naturam clarissimè apertissimèque resplendet.

Vtilissimum igitur fuerit singula, quæ in amarissima JESU Christi passione concurrunt exactissimè ponderare. Quanti infinita illa Verbi incarnati persona nos fecerit, quæ & quanta pro nobis Christus Dominus perpessus fuerit, quamque innumera beneficia dolorosissima sanguinis sui effusione nobis promeruerit. Ad hoc juvabit quinque hæc diligenter meditari, aut contemplari puncta. Quis patitur, quid patitur, quam gravia patitur, pro quo patitur, & quanto amore patitur. Quæ singula attentè, ut par est recogitata, scintillæ sunt ardentissimæ, quæ non possunt non maximum in anima excitare divini amoris incendium.

Erit insuper attendendus modus, quem Christus D. in vita, & passione servavit, quantâ videlicet obedientia, resignatione, charitate, humilitate, patientia nobis præluxerit, ut virtutes has, quas considerando admiramur, imitatione in nobis exprimamus.

Neque ullatenus à piis hisce de Passione Christi Domini nostri meditationibus est desistendum, quousque habitualis quædam ejusdem præsentia in nobis quodammodo depingatur, per quam anima Christum crucifixum continuo intra se contemplans, quasi in illius imaginem transformetur. Proderunt ad id plurimum spirituales libri, vitam Christi Domini piis considerationibus, & meditationibus explicantes, præcipuè vero, si qua poterimus diligentia conemur orationem nostram de Christi Domini humanitate contexere, ex ea lumen cognitionis Dei, affectum gratitudinis pro receptis beneficiis, desiderium imitationis virtutum, & singularem erga Dominum nostrum JESUM Christum amorem haurientes.

Tertium exercitium.

TErtium diætæ hujus exercitium, & hoc quidem proximè & immediatè ad viam unitivam disponens, est amor Domini nostri IESU Christi, ex triplici fonte dimanans, divinorum videlicet beneficiorum JESU Christi grata rememoratione, aut ex consideratione amoris, quo dilexit nos, & ad redamandum efficacissimè impu-

impulit, secundum illud Apostoli : *Charitas Christi urget nos, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* aut denique ex quadam amorosa complacentia, de divinarum perfectionum, & gratiarum in JESU Christo plenitudine, qua immensè delectetur & gaudeat, JESUM Redemptorem suum verum esse DEUM, & æterni Patris Filium unigenitum, & consubstantialem. Vnde sæpius ista repetat : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Amorem hunc quibusdam affectuosis accendat, & foveat aspirationibus his, aut similibus : *O quando Domine, quando debitâ gratitudine tanta rependam infinitæ misericordiæ tuæ beneficia ? quando veri amoris operibus tantum amorem compensabo ! O si totus in te, totus tuus essem ! ô Domine, ô utinam totum me possideres, tibi me totum impenderem; si totum quod debeo persolvere non possum, hoc tamen tantillum, quod sum, quod valeo infinitâ illâ tuâ bonitate dignanter suscipe, & totum posside me.*

Denique ubi se hoc modo exercuerit, conabitur è re qualiber, divinum Christi elicere amorem, & ut S. Bonaventura inquit, ad orationes singulas anagogicis actibus cor ad DEUM in cælestia sublevare. Exemplum sit ad hæc verba : *Pater noster, qui es in cælis.* hoc modo mentem elever. *O Pater amoris & misericordiæ, ô si verè fidelis filius tuus essem, teque filiali, quo debeo affectu adamarem, qui es in cælis, ubi domine à beatis omnibus ineffabiliter & gloriosissimè adamaris ! O si te in hoc exilio super omnia verè diligerem, IESV Redemptor mi, DEVS meus & omnia.*

Neque solum in verbis, quæ dicit, aut audit, sed quotiescumque aliquam creaturam intuetur, vel aliquid agit, diligenter idem factitandum erit, dum manducat v, g. cor in DEUM erigens dicat : *O Domine quando satiabor pane illo, qui solus satiare potest, pane Angelorum ?* Quando est bibiturus, *quando dabitur mihi Domine bibere de aqua vita, qua in me omnem creaturarum sitim exstinguat ? Domine, da mihi hanc aquam, aquam amoris tui, qua omnu terreni amoris concupiscentia in me moriatur.*

CAPVT IX.

De cordis puritate, quæ horum exercitiorum finis est.

HOrum omnium exercitiorum finis est cordis puritas, nam ad DEUM contemplandum, & experimentaliter degustandum, planè necessarium est, purum & ab omni inordinato creaturæ gustu liberum, & mundum habere cor; hoc enim & Christus Dominus docuit dicens : *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.*

Hanc cordis munditiam efficiunt, assidua cordis compunctio, passionum mortificatio, propriæ judicii, voluntatisque abnegatio, ac denique ab omni eo, quod ad nostri amorem spectat perfecta aversio. Vnde quamdiu non omnimodè sibi suisque desideriis, ac gustibus emortuus fuerit, illam puram cordis munditiam obtinere non poterit. Quare planè necessarium est, abstinere ab omnibus rebus, quæ ad se non pertinent, à superfluis curis, & sollicitudinibus, à nimia hominum familiaritate, & non necessaria conversatione, aut occupatione. Denique ab omnibus iis rebus, quæ suis imaginibus, aut phantasmatibus mentem inquietare, occupare, aut depingere possunt, præsertim vero cum ex iis non resultet DEI gloria, proximi salus, aut à sancta Obedientia non sunt præscripta.

A quibus abstinendum, ut cordis puritas obtineatur.

Hinc etiam summo studio incumbere debet, ut magnanima animi resignatione, adversa & prospera, læta & tristia, æquanimiter, sine ullo pacis internæ dispendio de manu DEI suscipiat, ut nec adversis frangatur, nec prosperis insolescat. Generosa insuper cordis libertate, nullis commoveatur desideriorum æstibus, nulli creaturæ inordinatè afficiatur, nullis serviat cupiditatibus, nullas species præter eas, quæ ad DEUM referuntur intus admittat, ejusque conversatio tota de DEO, in DEO, & cum DEO sit. Quia vero ad vitam spiritualem instituendam, & perficiendam maximi est momenti hæc cordis puritas, subjiciam hic verba cujusdam Doctoris pii de ea sic disserentis.

Quæ ad ejus perfectionē requirantur ?

Ad comparandam, inquit, puritatem cordis, & ejus perfectionem, multa forent dicenda, paucis tamen multa complectar. Elige vitam solitariam, & ab omni hominum conversatione, quantum fas erit, remotam, insuper ab omnibus occupationibus, curis, & ab omni strepitu verborum, & turbulentis sæculi negotiis, quan um potes, abstine, ut in sancto silentio cordisque humilitate, soli DEO vacare possis, facessant à te procul omnia sensuum oblectamenta, nisi forte quid simile necessitas, vel infirmitas postulaverit : ad hanc semper aspira puritatem; utque eam facilius assequaris, omnes tuos sensus continuo mortificationis fræno cohibe, pervigili cura januam cordis occlude, ne in illud aliquid, quo inquinari, perturbari, vel minimo affectu pollui, aut inquietari possit ingrediatur.

Debes præterea nudum præservare intellectum, à cunctis creaturarum phantasmatibus, nec non affectum vacuum ab omni vitiosa naturæ inclinatione, liberumque ab omni creaturæ cujusvis amore : ut hoc pacto solus sibi relictus, & in se unitus spiritus tuus, convertat se ad DEUM, totaque pariter anima illi se totaliter uniat, in illo requiem habeat, & ab omni creatura ad DEUM ascendens illum, sui oblita, solum speculetur, solum amet, solum quærat. Illud insuper DEI beneplacitum est, ut de manu ipsius, cum plena tui abnegatione, integra humilitate, patientia, gratiarum actione, quidquid erga te ordinaverit suscipias. Hæc ille.

Porro puritatem hanc facillimè acquiremus, & optimè fovebimus, si sancto alicui exercitio, ita nos ipsos totos, cum fervore & constantia, dedamus, ut non pateat ullus inordinatæ cogitationi accessus, sed totum sanctis vitæ Domini nostri JESV Christi meditationibus, & continuis in cælum tendentibus suspirationibus sit repletum, & præoccupatum.

Cor à quibus expurgandum sit ?

Cor nostrum ab his omnibus affectibus expurgandum, & emundandum est. Primo ab amore rerum temporalium; secundo ab omni sinistra intentione; tertio à delectatione mundana qualicumque : quarto ab inordinato hominibus placendi desiderio; quinto à cogitationibus non solum malis, sed etiam inutilibus, & otiosis; sexto ab omni cura superflua; septimo ab omni cordis amaritudine; octavo ab omni vana complacentia; nono ab omni creaturarum consolatione : decimo ab omni inquietudine & impatientia : undecimo ab omni propriæ voluntatis adhæsione : duodecimo ab omni intellectus & judicii proprietate.